

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE SANCTAE CATHARINAE EVANGELIVM Matthaei 25.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

pietatem desideriumque conceperunt, ut in desertum vel
que sequentes inuiti ab ipso auellerentur: quæ arbitran-
da est Mariæ deuotio, quæ omnia Dei magnalia tam ex-
actè recensere atque cantare nouerat? Contrà, si Deus
ingrato atque defecturo populo, tantum quia ad tempus
sequebatur Christum, tanta beneficia exhibuit, quam pu-
tamus Mariæ gratiam exhibuit, quæ semel se Deo deuo-
uens, nunquā ab eo declinauit? Ecce tibi ea, quibus præ-
sens festiuitas seruit. Quæ, si secutus fueris, utique om-
nia ad dei honorem, ad virginis laudem, tuamque vili-
tatem conuertentur. Graua Dei nobiscum, Amen.

IN DIE SANCTÆ CA-
THARINAE EVANGELIUM

Matthæi 25.

Tunc simile erit regnum cœlorum decē
virginibus, quæ accipientes lampades
suas exierunt obuiam sponso & spon-
sæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quin-
que prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lam-
padibus, non sumpserunt oleum secum. Pruden-
tes verò acceperunt oleum in vasis suis cū lam-
padibus. Moram autem faciente sponso, dor-
mitauerunt omnes & dormierunt. Media au-
tem nocte clamor factus est, ecce sponsus ve-
nit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt om-
nes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.
Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Dateno-
bis de oleo vestro, quia lampades nostræ ex-
tinguuntur. Responderunt prudentes, dicen-
tes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite
potius ad vendentes & emite vobis. Dum au-
tem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ
erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clau-
sa est

sa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reli-
quæ virgines, dicentes: Domine, Domine,
aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen di-
co vobis, nescio vos. Vigilate itaque quia ne-
scitis diem neque horam.

EODEM FESTO EPI-

STOLAE LOCO LECTIO

Ecclesiast. 51.

Confitebor tibi Domine rex, & collauda-
bo te Deum saluatorem meum: Confite-
bor nomini tuo, quoniam adiutor & pro-
tectus factus es mihi, & liberaisti corpus meum à
perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs o-
perantium mendacium, & in conspectu astantium
factus es mihi adiutor. Et liberaisti me secundum mul-
titudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus
preparatis ad escam, de manibus quærentium ani-
mam meam, & multis tribulationibus quæ circun-
dederunt me, à pressura flammæ quæ circumdedit me,
& in medio ignis non sum aestuatus. De altitudine
ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo
mendacij, à Rege iniquo, & à lingua iniusta. Lau-
dabit vsque ad mortem anima mea Dominum, &
vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.
Circumdederunt me vndique & non erat qui adiu-
uaret. Respicies eram ad adiutorium hominum, &
non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ Domi-
ne, & cooperationis tuæ quæ à seculo sunt, quo-
niam eruis sustinentes te Domine, & liberas eos de
manu gentium.

SER.

SĒRMO VNICVS

*In Euangelium deinde in se-**stinitatem.*

IN hoc Euangelio Christus duplicem docendi viam tenet, cum nunc similitudine, nunc expressis verbis quid velit, edocet. Summa autem totius Euangelij his verbis consistit: Vigilate, quia nescitis diem neque horam, in qua filius hominis veniet, Atque hæc prudenti sufficeret. CHRISTVS verò in ea re etiam decem virginum similitudine vtitur, in qua perspicuè videre licet, quantum vel commodi vel incommodi adferat, ijs in rebus quæ vel Deum vel animæ salutem respiciunt, vigilia aut somnolentia. Quinque ex illis vigilarunt, quinque dormierunt. Verum non de corporis somno hoc intelligendū est, quo nemo carere potest: tum nec de mortis somno interpretari potest, quia & hic communis est omnibus. Doctus & indoctus simul pereūt. Tum ipsum etiam Euangelium omnes dormiuisse testatur. Alius somnus quidam, alia vigilantia est, quæ has virgines discernit. Quicumque ergo in animæ negotio atque rebus diuini sollicitus, diligens atq; pròptus est, hic vigilat: qui vero sine cura, sollicitudine, timore, rerumq; futurarū prouidentia desidet, sanè hic in vtramvis aurē dormit. Hoc inter virgines, id est, Christianos discernit. Alij prudentes sunt, futuraq; prouident, in hæc se armant promptasque reddunt, vt non modò hic in hominū cōspectu, verum etiā corā Deo possint cōsistere. Et hi prudentes illæ virgines sunt, quos nunquā improvisa mors subruit, lapades earū lucent perpetuò, his aperta est ianua. Alij vero superbiunt, minimeq; futura cogitant, lapades quidē sed sine oleo ferentes, formis rerū credunt, quales interiorius sint nihil curant: hos semper insperata mors præuenit, semper impeditos inuenit, ideoque ianuas non aperendas frustra pulsant. Hæc Christus hac vult parabola innuere, eaque apertis verbis docet. Vigilate, inquit, quia nescitis qua hora dominus venturus est. Quia ergo Christus ipse iuxta expressum sermonem, etiam exempla atq; figuras apposuit, (simplicium bono) nemini nouum aut rarum videatur, quod in Ecclesia præter doctrinam Christi etiam exempla eorum, qui summo studio Euange-

lij do-

lij doctrinam sequuti sunt proponantur. Id quod non his tandem temporibus inuentū est, sed semper in piorum coetu obseruatum est. Nihil ea seueritate Iudeis aut toties inculcatum fuit, qua Abraham, Isaac, atque Iacob fidei vitæque exempla, Deinde aliorum etiam exempla proposita sunt: Iudith Tobia &c. Paulus simul omnes in medium proponit, nubem (vt ipse inquit) testium. Idem etiam patres nostri fecerunt. Vt grauissimè Dei voluntatem verbumque docuerunt, ita studiose eorum qui verbum voluntatemque Dei vita moribusque expresserunt, exempla proposuerunt. Hac intentione hodie D. Catharina proponitur, ingenua Dei puellula, sancta virgo, scilicet martyr: in qua vna omnes videre possemus omnia, non modò quæ in Euangelio Christus docet, verumetiam quæ aliàs ad Christianum hominem pertinent. Idque paucis ostendam vt omnes videant, quam merito huius virginis in Ecclesia memoriam celebremus. At à minimis, nempe nomine exordiar, hinc ad vitam, à vita, ad passionem progrediar. Qui sanè ipsi gradus sunt, cuilibet Christiano scandendi. Nisi enim ab inferioribus inceperis, nunquam ad summa peruenies: qui proprium nomen non cogitauerit, ad vitæ pietatem nunquam perueniet, multo vero minùs mortis aget triumphum. Videamus ergo quis ordo nominis vitæ atque mortis in hac virgine fuerit. Principiò ergo pulcherrimum Christianumque nomen obtinuit, quod ipsum etiam vita moribus in seipsa expressit, id quod maximè laude dignum est. Exigua alioqui laus est nominis præstantia, sine vitæ consonantia. Catharina à Græco est κατὰ - Latine purus, castus, immaculatus. Et eiusmodi omnes Christianos dici atque esse conuenit, non, quemadmodum Nouatiani, olim seipsos dicebant Catharos, puros, seque præferebant cæteris, quod ad pœnitentiam non admitterent eos, qui semel in capitis periculo negassent Christum, vt nunc Cathabaptistæ se ab alijs discernunt, sibi de puritate blandientes, omnes alios damnantes. Non autem eo modò Christiani Cathari erimus, vt nosmet puros mundosue æstitemus, sed vt verè puri coram Deo simus, atq; hominibus. Cuiusmodi hæc Catharina fuit: Pura enim pudica, immacu-

Ioan. 1.

maculata, sine felle, simplex, innocensque virgo fuit: ita
ut hac parte non absurdè Nathanaeli comparare pos-
sim, de quo Christus ait: Ecce verus Israëlita, in quo do-
lus non est. Ita hic, Ecce vera Catharina. Quid autem
pulchrius in homine, & bono nomine, & huic conveni-
ens vita? verum quid illo nunc rarius? Nulla unquam in-
dendorum nominum maior ambitio: nulla contra unquam
respondendi nominis significationi, maior execrabilior-
que incuria. Id quod non modò in baptismo acceptis
nominibus videre est, verum etià in appellationibus at-
que agnominibus, fortunæ atque officij. Hic inquam, ra-
tio videas, quod in Nathanael atque Catharina: De paucis
enim dici potest: Ecce verus Israëlita: Ecce, vera Catha-
rina. Verus Christianus, bonus pastor, pius sacerdos,
Monachus, iudex, maritus, Ioannes, hoc, est qui accepta
gratia, rectè utatur: Petrus, qui in fide firmus persistat.
Et quid est, quod de raris & præstantibus nominum ti-
tulis gloriamur, cum omnes contrarium rideant? Hic verò
& nomen & rem simul vides. Nomen quidem Catha-
rina, pura, pudica: nec secus res ostendit. Videte ergo,
quantum etiam in hoc minimo deficiamus. Quid verò
tam in hac virgine contemplandum restat? Vita. Cum vi-
tam dico, non externam rerum formam, sed omnia quæ
externè, internè, ad vitæ Christianæ pietatem pertinent,
quorum initium à fide, finis verò per media deductus,
Charitas est. Id quod Christus in virginibus, virginum-
que lampadibus ostendere voluit. Virgines sumus omnes,
Christo nimirum desponsati: lampas, fides: oleum, Cha-
ritas est. Quæ sanè omnia ad vitæ pietatem pertinent, at-
que in hac virgine inveniuntur. Christo enim sese tra-
diderat, fidem non corde tantum tegebat, sed & ore vi-
taque exprimebat. Et quantum hic quoque deficiamus.
Superbè quidem lampades nostras portamus, magna de
Christi desponsatione iactitamus, varijs modis de fide
insolescimus, sed multorum lampades vacuæ sunt, mor-
tua fides, quæ Deo nec placent nec placere possunt. Un-
de illæ tantum intromittuntur, quæ lampadibus atque
oleo paratæ sunt. Ut enim minime Deo opera nostra si-
ne fide placent, ita etiam fides sine operibus gratia ipsi
esse non potest, Vtrumque Scriptura docet: omnes etià
pij

pij vtrunq; coniunctū habere studuerunt. Nec Credens
 quisquam fuit, siue vetus siue nouum Testamentum re-
 spicias, qui sine lampade aut oleo, hoc est, sine fide aut
 charitate saluari præsumpserit: nemo inquam, hæc vel spe-
 rare ausus fuit. Multa quidem Pharisei de operibus suis
 iactabant, sed oleum sine lampadibus erant. Vnde etiā
 Christo aspernantur. Nos contrarium tuemur, de lam-
 pade vacua, hoc est, fide nuda salutem nobis promitti-
 mus: licet in omnibus historijs, vitis, atque monumen-
 tis omnium piorum videamus, quā omni pietati stu-
 duerunt semper, ita, vt mirum cuiquam videri possit, vn-
 de isthæc persuasio inter nos nata sit, sola fide atque a-
 deo otiosa salutem promittere, vtique huic virgini nos-
 met compararemus, cuius nomen respondet vitæ, vi-
 taque Euangelio consona est, & hoc tandem vtrunque
 valet Deoque placet. Optimum Christiani, nominis
 approbatio, consensus vitæ est. Optimum vitæ piæ
 documentum est, si cum Euangelio consonet, quod ver-
 bum vitæ est. Restat nunc vt quomodo non modò in-
 genua Dei filiola atque virgo, verū etiam Martyr Chri-
 sti hæc Catharina fuerit verā consideremus. Et huius
 quidē generis testes plurimos CHRIS TVS habuit. Ste-
 phanus omnium primus est, vnde etiam solus protho-
 martyr dictus est, qui de Christo coram Senatu Iudaico
 testimonium reddidit. Alij idem coram Gentibus præsti Ioan. 13.
 terūt, quemadmodum prædixerat Christus ipse: Et vos,
 inquit, testimoniū perhibebitis de me, quia ab initio me-
 cum estis. Et de Paulo: Vas est mihi electionis, vt portet Act. 9.
 nomen meū coram gētibus & regibus. Catharina nostra
 Christo testimonium dedit coram Marcentio, ea seueri-
 tate, vt rectē de ea dicere possim. Persij habuerunt con-
 stantiā eius. Et Medi audaciam. Id quod propriē quidem
 de Iudith dictum est, quæ Holoferne trucidauerat, cui re- Iudith. 17
 pugnare nemo audebat. Vnde Persij atque Medi huius
 formine, tanti, Infectricis Tyrāni, fortitudinē horruerūt.
 Nos verò Catharina habemus, quod meritō omnes Gē-
 tes exhorret, credētes verò prædicamus atq; extollimus.
 Et quid ipsum? Christianā constantia atq; fortitudo. De
 Christiana, inquam, hic loquor constantia atque fortitu-
 dine. Neque enim omnis audacia laudem meretur. In Da-
 uid

uid quidem Christiana constantia perspicua est, quum
 2. Reg. 17. ait: Quis est incircuncisus ille, qui ausus est maledicere
 Ag. 21. exercitui Dei viuentis? In Paulo eadem videtur, qui ait:
 Ego non solum alligari, sed & mori in Ierusalem para-
 tus sum, Propter nomen Domini Iesu. At mundus quo-
 que saepe eiusmodi sibi fingit fortitudinē, quā tum me-
 ra pertinacia potius dicenda est. Sic Iudæi fortes sibi vi-
 debantur, qui propriē desperati erant, aut quemadmodū
 Scriptura loquitur, duritia, imō excaecatio Dei. In Ca-
 tharina vtramque videmus: bonam Christianamque au-
 daciam atque constantiam. Vtrumque enim coniungi ne-
 cesse est. Audacia per se non sufficit, constantia illam co-
 mitetur oportet. Nam ipse etiam Petrus audaculus initio
 erat, sed Christiana audacia non erat. Propterea citō pe-
 ribat. Verūm quā Christiana est & ingenua constantia,
 in finem vsque perseverat. Agite ergo propositum in Ca-
 tharina exemplum sequamur, sic enim praesentem
 festiuitatem rectē vt pios decet peragemus,
 ad Dei laudem, nostrū verō om-
 nium æternam vtilitatem.
 Gratia Dei nobi-
 scum, Amen.

Finis postillæ de Sanctis, secundæ partis

R. D. Ioannis Feri: interprete D.

Ioanne à via Anno 1558.